

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 19. (Neovidensis 1808. Nro. 18.)

*Secretum litterarum Commercio Vivos inter
et vita functos*

Götzde Berlichinga, cum manu ferrea, ad
quemdam Germanicum equestrem Can-
tonem.

ElysiumMeum.-Die Martis.22. Mart. 1808 (Neov.1. Mart. 1808.)

Legi perlegi omnia, Nobiles ac Egregii viri!
quæcunque ex nobilibus advenis nostris ad
beatas hasce sedes intellexi; quæ vobiscum
in mundo superiori acciderunt; Nonne? Götz
a Berlichinga in vestro venerabili coetu desi-
deratur? an non sæpenumero contentiones
cum fortioribus habui? an non sæpe Coloni
suum me ducem elegerunt? equidem natura ita
ferente miles fui, & armis legionibusque discin-
ctus esse debui. Eques Germanus eram, & ut ta-
lis an molli strato incubare, aut luculento ca-
mino adhærere potui? — neutiquam; non hoc
erat negotium mihi, Dæmonem ipsum ex sti-
giis locis excitassem.

Imo id plane intellexi: scribillatorem quem-
dam vitam meam in scena produxisse; quam
legi & cogitabam intra me: homuncio hic
egregie mentitus est, quæcunque in ea dicen-
da imponi; interim probandum factum ejus ex-
istimabam, siquidem memoriam mei refricuit,

quoniam utique cimeriis tenebris jam nomen meum tegebatur.

Non poteram non animo exultare, ut equestris ordo in sacro Romano Imperio se everit; quamdam is eminentiam præ Imperatoribus ipsis sibi vendicavit, rationem habuit nobilis sanguinis, & genealogicæ habilitatis — non tamen semper capitularis eligibilitas ei competeat — omnes Episcopatus, & ecclesiastica beneficia ei patebant, si quæ familia regrediebatur in flore suo, in ecclesiasticis beneficiis se refocillandi habuit occasionem; plurima Beneficia equestris ordinis viris referta erant, munera officiaque honorificentissima & lucrosissima per Nobiles administrabantur — O beata tempora! eorum vera voluptas, & utilitas erat esse S. Imperii Romano Germanici equitem — hæc solatia præteriere, fuimus Troes! fuit Illium! quid jam factu opus? —

Erat vere res voluptatis plena: videre equitem ad *Capitulum* nihil præter virtutem ac rerum cognitionem adferentem; ut ad excelsum Principis, imo Electoris, aut Imperantis dignitatem per electionem sublimatus sit sublimarique potuerit? ut omnes secularès principes, & domini homagium ei præstiterint; quod negotiis Germanici Imperii notabile pondus adjicere valuerit; ut ipsi Imperatori æstimatus, amplas ditiones & provincias moderatus sit? ut commilitones & cognatos suos bonis & feudis donare, & equestrem ordinem florentiorem reddere potuerit? hilaris memoria! hodie tanto acerbior!

At nequaquam — adhuc uber campus ad gloriam patet. Vos diversis principibus, Ducibus & Regibus Vasalli facti estis, ubi-
vis nobiliorem Civitatis partem efficitis; alia vero vitæ ratio vobis ineunda est, si in ditionibus, quarum limitibus constringimini, notabilem adhuc personam agendi vobis animus est.

Id quidem ultro fatendum: vos feroces inquieti capitis homines fuisse, ego terror vicinorum meorum, strenuus, feroxque fui, in summa: eram formidandus Götz de Berlichinga cum ferrea manu. In iisce Germaniæ campis lævæ meæ jaçturam tuli! in ejus vicem ferream curavi, ad testandum me adhuc fortio-
riorem ac olim esse; ita munitus huic, jam illi expeditioni me accinxeram, sæpenumero manus conserui, ignarus quam ob causam, & cujus gratia; sed sic eotum equestris mos ferebat, nunquam non pugnare, hæc erant tempora! in hoc sita erat gloria. Servientes ultro me comitabantur, & solus coronam virorum ad motum concitando fui.

Hodie hæc agendi ratio non valet, ferocem, & inquietum equitem non oportet, cultus & strenuus sit, est necesse; memoria vos subeat gloriosorum majorum nostrorum — hoc amicus, hoc comes vester vobis scribit — hæc verba Götzii de Berlichinga cum ferrea manu. —

Jam nunc ædes invisam publici Caduceatoris Mercurii, auditurus quid novi apud vos in mundo superiore accidat.

quoniam utique cimeriis tenebris jam nomen meum tegebatur.

Non poteram non animo exultare, ut equestris ordo in sacro Romano Imperio se evererit; quamdam is eminentiam præ Imperatoribus ipsis sibi vendicavit, rationem habuit nobilis sanguinis, & genealogicæ habilitatis — non tamen semper capitularis eligibilitas ei competeat — omnes Episcopatus, & ecclesiastica beneficia ei patebant, si quæ familia regrediebatur in flore suo, in ecclesiasticis beneficiis se refocillandi habuit occasionem; plurima Beneficia equestris ordinis viris referta erant, munera officiaque honorificentissima & lucrosissima per Nobiles administrabantur — O beata tempora! eorum vera voluptas, & utilitas erat esse S. Imperii Romano Germanici equitem — hæc solatia præteriere, fuimus Troes! fuit Illium! quid jam factò opus? —

Erat vere res voluptatis plena: videre equitem ad *Capitulum* nihil præter virtutem ac rerum cognitionem adferentem; ut ad excelsum Principis, imo Electoris, aut Imperantis dignitatem per electionem sublimatus sit sublimarique potuerit? ut omnes seculares principes, & domini homagium ei præstiterint; quod negotiis Germanici Imperii notabile pondus adjicere valuerit; ut ipsi Imperatori æstimatus, amplas ditiones & provincias moderatus sit? ut commilitones & cognatos suos bonis & feudis donare, & equestrem ordinem florentiorem reddere potuerit? hilaris memoria! hodie tanto acerbior!

At nequaquam — adhuc uber campus ad gloriam patet. Vos diversis principibus, Ducibus & Regibus Vasalli facti estis, ubi vis nobiliorem Civitatis partem efficitis; alia vero vitæ ratio vobis ineunda est, si in ditionibus, quarum limitibus constringimini, notabilem adhuc personam agendi vobis animus est.

Id quidem ultro fatendum: vos feroces inquieti capitis homines fuisse, ego terror vicinorum meorum, strenuus, feroxque fui, in summa: eram formidandus Götz de Berlichinga cum ferrea manu. In iisce Germaniæ campis lævæ meæ jaçuram tuli! in ejus vicem ferream curavi, ad testandum me adhuc fortio-rem ac olim esse; ita munitus huic, jam illi expeditioni me accinxeram, sæpenumero manus conserui, ignarus quam ob causam, & cujus gratia; sed sic eotum equestris mos ferebat, nunquam non pugnare, hæc erant tempora! in hoc sita erat gloria. Servientes ultro me comitabantur, & solus coronam virorum ad motum concitando fui.

Hodie hæc agendi ratio non valet, ferocem, & inquietum equitem non oportet, cultus & strenuus sit, est necesse; memoria vos subeat gloriosorum majorum nostrorum — hoc amicus, hoc comes vester vobis scribit — hæc verba Götzii de Berlichinga cum ferrea manu. —

Jam nunc ædes invisam publici Caduceatoris Mercurii, auditurus quid novi apud vos in mundo superiore accidat.

Veselia die 24. Febr. Proclamatio: „Pro-Præfectus Districtus Cliviæ, unus e Cæsareis Commissariis ad adeundam possessionem urbis Veseliæ, & ejus territorii, mandato instructus, posteaquam in hoc negotio cum Generali urbis Veseliæ Præfecto quintæ vigesimæ legionis *D. Laurent*, æque Cæsareo delegato Commissario tractasset. *Incolis Veseliæ*: „*Incolæ Veseliæ!* Senatus Consultum organicum, quod prælegi audivistis, sortem vestram definit ratione irrevocabili. Patres Galliarum vos adoptaverunt, Imperans præcipit jubetque: ut in amplam familiam felicium ejus subditorum cooptemini & nomine potentissimi Monarcharum, nomine Suxæ Majestatis Napoleonis I. Imp. Galliarum, Italiæ Regis & Rhœnani Fœderis protectoris solenniter pronuncio: vos Galliis unitos & incorporatos esse.

Felicibus sub regimine Cæsareæ Serenitatis *M. Ducis Montis*, justis & benigni principis, virtute, gestisque heroicis æque excellentis, memoria ejus piis pectoribus animisque vestris excidere nec potest, nec debet; verum cum altius decretum ab ejus vos hodie conditionibus avellat, profecto id nequaquam ad minuendam beatitudinis vestræ summam evenit.

Jam libera Imperialis urbs, jam sub potestate & imperio Comitum & Ducum Cliviæ tandem Monarchiæ Borussicæ incorporati continuo cujusvis belli victima fuistis, cui Imperantes vestri impliciti. Eorum imbecillitas, aut distantia, vicinitasque æmulorum Sta-

tuum, hæc erat, præcipua causa vestræ infelicitatis!

Defensi scuto invincibilis herois, undique cincti foederatis Statibus et nationibus, quem, amabo, hostem amplius pertimescendum habetis? in bellorum strepitu aequæ ac almae pacis tempore, maenia vestra asylum quietis, securitatisque, scientiarum artiumque aequæ ac svavis legum custodiam futura sunt, munimenta vestra nobilem vobis arrogantiam inspirabunt, et vel accessus ad ea hostibus Galliarum interdictus erit.“

„Hac ratione immortalis Imperatoris vestri genius beatitudinis vestrae cunabula, et firmitatem locat; et si ullo unquam tempore historia de propensione in principes vestros cum commemoratione adversitatum vestrarum indivulso nexu cohaeret, deinceps omnis historiae vestrae pagina tum memoriae obsequii, fidelitatis vestrae, quae præcipuae subditorum partes sunt, tum memoriae publicae et privatae vestrae salutis sacrata erit, glorioso effectui excelsae sapientiae illius principis, cujus politicam et militarem magnitudinem nulla alia perfectione aequari valet, sola paterna, qua pollet, bonitate.

L. C. G. J. de Keizerberg.

Solennitati finis impositus est per id, quod allata proclamatio sub militari praesidio in praecipuis urbis plateis praelecta et typis mandata affixa fuerit. Communis so-

lennitas júbilo: Vivat Imperator! Vivat Napoleon Magnus! interrupta est.

Neapoli die 12. Febr. Hujas officiosa Ephemeris (Monitore Neapolitano) sequentia complectitur: Nocte intra 26 at 27. Jan. ad oram adpulere 600 viri partim banditae, partim Angli ad Cannatello et Villam S. Joannis, stationemque adgressi, ab unica Centuria 62. et 20. velitum legionis venatoriae defensam, Centurio *Livron*, qui stationi huic cum imperio praefuit, in hostem impetum fecit, eumque perturbans, ad mare usque persecutus est; pars hostium nando naves attingere adnisa, caeteri in captivitatem inciderunt.

Die 30. Jan. 4 hostiles tormentariae naves binaeque vectoriae ad Porticellum per unam Centuriam desultoriam secundae, et pirobolariorum 60 legionis impetitae sunt. Strenui hi in aquas irruerunt, inter ignitorum globorum jactus naves apprehenderunt, iisque potiti sunt. Explosio tormentorum hostem attentum reddidit, et ob hanc rationem aliquot Anglicanae naves Messina solvebant, ad opem navibus ferendam. Una Anglicana navis 20 tormentorum prope Porticellum accedere ausa, ad oram naufragabatur; isthic duobus adhuc diebus se defendens in nostram venit potestatem centurione suo interemto, et Locumtenente graviter sauciato.

Die 1. Febr. copiae nostrae *Reggio*, quod hostis maenibus cinxerat potitae sunt;

munimentum die 2. deditionem fecit; hac nos occasione 900 captivos 14 machinas bellicas occupavimus de praesenti Castrum *Scylla* obsidione tenetur.

Cum hujates piae foundationes, nosocomia, pauperum et orphanorum aedes priscis temporibus plurimum publico aerario *Cápitalia* sua elocarint, idcirco iis usque praetensiones earum legitimae exaequatae fuerint, a Rege annue 126000 Ducat. arg. Summa pro sustentatione assignata est.

Berolino 19. *Febr.* omnes hic adhuc morantes et in stipendiis constituti officiales militares Borussici, et ii, qui in *Silesia* stationes habent, ante aliquot dies ad suas legiones revocati sunt. Ante 14 dies aliquot hic stationem habentia Collegia, ut: Nosocomium militare, et alia, jussu discedendi acceperunt, at ab 11. hujus discessu iterum inhibita sunt; die 20. tormentariorum Cohors, 900 constans equis huc adpellet, ex regione *Dantiscana*, *Moguntiam* proficiscens.

B I O G R A P H I A.

Götz a Berlichinga cum ferrea manu; Eques strenuus educatus in dómo Cognati sui *Conradi a Berlichinga*, quem Anno 1495 ad *Comitia Vormaciensia* comitatus est;

postea apud Marchionem Fridericum Brandeburgiae stipendia fecit, meruit et apud Bavarum in controversia Palatina, in qua medio glandis plumbeae, laevae manus jacturam tulit; in cujus vicem ferream substituit. Multis et frequentibus cum vicinis se implicuit, quo factum: ut longelateque metueretur, celebrareturque. Duci Wüttembergico Ulrico utilem navavit operam, at Duce hoc in exilium acto a Svevico foedere captus. Anno 1500 bis mille florenorum aureorum litro se redimere debuit. Bello rusticano turbulenti cum ducem elegere, post quod rursus a Svevico foedere Augustam Vind. captivus ductus, Urphedam praestare, et 16 vades constituere coactus, tandem 1562 obiit 23. Julii. Ipse res gestas suas descripserat, bonamque notionem de equestribus illius aevi adjunctis cogitandique ratione dederat, ejus scripta Norimbergae 1751 in forma octava cum adnotationibus typis vulgatae sunt.
